Dr. Josef Mařan: 178.

NOVÉ FORMY PODRODU TAPINOPTERUS SCHAUM.

DE NOVIS PARUMQUE COGNITIS SUBGENERIS TAPINOPTERUS SCHAUM FORMIS.

Coleoptera — Carabidae.

1. **Tapinopterus Kaufmanni kalofirensis** Mař.

Tapinopterus Kaufmanni kalofirensis a me e montibus Kaloferski Balkan ad Karlovo in Sbor. ent. odděl. Nár. Musea v Praze, XI., 1933, p. 91 descriptus est. Serius dom. prof. K. Mandl (Mitt. Naturw. Inst. Sofia Bd. IX, 1936, p. 106) hanc formam uti *Tapinopterus Kaufmanni Schuberti* ex eadem localitate descripsit, quod nomen synonimum ad *Tap. Kaufmanni kalofirensis Mař.* est.

Iisdem locis dom. prof. Mandl alteram rassam huius speciei geographicae *Tap. Kaufmanni Winkleri* (l. c. p. 104) e montibus Svrlječka planina (Serbia) et Stara planina (Bulgaria) descripsit, quae rassa etiam in montibus Midžor planina (Bulgariae et Jugoslaviae fines) occurit. Specimina 6 (Midžor planina dr. F. Rambousek 30. VIII. et 1. IX. 1923 lgt.) huius formae in Coll. Musei Nat. Pragae conservantur.

2. **Tapinopterus Kaufmanni Kulti** m. nov.

In montibus Rila planina (Čamkurija sub monte Mussala) altera rassa *Tap. Kaufmanni* Ggb. occurit, quaem formam *Tap. Kaufmanni Kulti* m. nov. nomino.

Inter *Tap. Kaufmanni kalofirensis* Mař. et *Kaufmanni Winkleri* Mand. ponendus. Long. 11 mm. Differt a primo pronoto longiore, basin versus magis attenuato, ante angulos posticos fortius et longius sinuato, elytris brevioribus, magis convexis, lateribus magis rotundatis, apice penis angustiore, paramera sinistra angustiori, apice subacuminata, segmento ultimo abdominis in ♂ impressione mediana bene distincta, antice subgibbiformiter terminata.

A *Tap. Kaufmanni Winkleri* Mandl. pronoto longiore basin versus magis attenuato, ante angulos posticos fortius et longius sinuato, elytris parum longioribus, lateribus minus rotundatis apice penis magis elongata, angustiore, etiamque paramera sinistra magis angusta.

Loc. class. Čamkurija sub monte Mussala in montibus Rila VI. 1933 ipse legi. Typi in Coll. Musei Nat. Pragae conservantur.

Obser. Iisdem locis *Tap. Bartoňi* Mař. occurit, (Conf. Sbor. ent. odděl. Nár. Mus. Praha, XI, 1936, p. 90—91) quaem speciem novissime dr. Klášterský in montibus Rhodopi ad Bašmakli invenit. *Tapinopterus balcanicus* Ggb. occurit in parte meridionali montium Rila (V. 1929 in vicinitate Rilski Monastir specimina nonnulla invenimus) et in montibus Pirin planina.

Tapinopterus Bureschi Mař. a me de montibus Alibotuš descriptus (Mitt. Naturw. Inst. Sofia Bd. VI., 1933, p. 44), uti rassa geographica ad *Tap. balcanicum* Ggb. pertinet.

Tapinopterus Rambousekianus Mař. est species autonoma a *Tap. balcanico* Ggb. valde distincta, in affinitatem *Tap. monastirensis* Rttr. et *Tap. zygonensis* Mař. (Conf. Folia entom. 1939) pertinens.

3. **Tapinopterus Meschniggi** Schatzm.

Tapinopterus Meschniggi Schazm. uti rassa *Tap. monastirensis* Rttr. in Col. Centralblatt Bd. 3, 1928-29, p. 46—47 ex Olympo in Graecia septentrionali descriptus, potius species autonoma esse mihi videtur. Ex eodem monte in Kol. Rundschau Bd. 17, 1931, p. 215, a dom. dr. J. Müller complete descriptus *Tap. hellenicus* Müll. iam descriptione sensu species cum *Tap. Meschniggi* Schatzm. identica est. Itinere nostro entomologico VI. 1937 in Olympo una cum dr. K. Táborský, specimina nonnulla huius speciei ad niveos et in zona superiori silvae invenimus.

4. **Tapinopterus molopinus olympicus** Kratz.

Tapinopterus olympicus Kratz. ex Olympo ad Brussa descriptus, serius (Apf. Käf. Balk. 1904, p. 224, — Müller Kol. Rundsch. Bd. 17, 1932, p. 217) uti synonimum *Tap. molopini* Chaud. (L'Abeille V., 1868-1869, p. 245) commemoratus, potius rassam geographicam huius speciei efficere posse credo. Specimina nonnulla huius rassae ex Olympo asiatico (Dr. Jureček lgt.) differunt a speciminibus typicis *Tap. molopini* (♂♀ Turcia, Constant., Coll. Fleischer) pronoto latiore, basin versus minus attenuato, ante angulos posticos brevius sinuato, striis antebasalibus brevioribus (simile ut in *Tap. phrygius* Müll. formatis, sed basi modice extus incurvatis et distincte magis margini laterali quam linea media approximatis), elytris longioribus, supra minus convexis, fortius striatopunctatis, punctis 1—2 (saepissime in stria secunda positis) magis distinctis, lateribus minus rotundatis. Penis simile ut in *Tap. molopino molopino* Chaud. formatus, sed apice minus intus curvatus. Segmento ultimo maris utrinque punctis duobus setigeris instructo (in ♂ *molopinus* Chaud. utrinque seta unica instructo). A *Tap. molopino molopiformi* Luts. (= *rectangulus* Chaud. = *Wiedemanni* Fairm.) descriptione sensu *Tap. olympicus* Kratz. margine laterali pronoti ante angulos posticos abbreviato differt. Catalogus igitur hoc modo modificandus est:

Tapinopterus molopinus molopinus Chaud. I. Abeille V., p. 245 ..... Constantinopolis (t. Sturm)
molopinus olympicus Kratz. Deut. ent. Zeit. 1875, p. 418 ..... Olymp ad Brussa
molopinus molopiformis Luts. Acta Inst. agr. Stavrop. I. p. 78 nom. nov.
= *rectangulus* Chaud. Ab. 68.
= *Wiedemanni* Fairm. A. 66. ..... Bos Dagh
phrygius Müll. Kol. Rundsch. 17, p. 216. ..... Phryg. Taurus, Ak Dagh, Sultan Dagh.
phrygius pisidicus Müll. l. c. p. 217 ..... Pisid. Taurus, Dawras-Geb.

5. **Tapinopterus creticus gaudoënsis** m. nov.

Tapinopterus creticus idae Mař. a me e montibus Psiloriti (Ida) secundum specimen unicum descriptus (Sbor. ent. odd. Nár. Mus. Praha, XII., 1934, p. 128), serius in eadem localitate a dom. Dr. Ot. Štěpánek et Dr. K. Táborský lectus, discrepat a forma typica e vicinitate urbis Caneae descripta (cum typo — 1 ♂ uti *creticus* Friv. typ.! designatus in Coll. Nickerle Mus.

Nat. Pragae conservatur — et cum nonnullis speciminibus ex eadem localitate comparatus), pronoto multo latiore, lateribus basin versus valde rotundatim angustato, basi igitur angustiore, nec non angulis anticis pronoti distincte magis prominulis, nonnunquam et elytris magis rotundatis Eandem formam Dr. Ot. Štěpánek et Dr. K. Táborský V. 1938 in montibus Leuka Ori (Creta occ.) legebant. Forma haec variat: stria secunda elytrorum punctis tribus vel duobus instructa, puncto scutellari deficiente (specimina omnia e montibus Psiloriti) vel praesente (saepius in speciminibus e montibus Leuka Ori), tarsis posticis articulo primo extus fortius vel tantum indistincte sulcato.

Insulam Gaudos altera rassa geographica huius speciei incolit, quae forma insularis pronoto lato, basin versus valde rotundatim angustato *n. idae* Mař. valde similis, differt ab ea elytris brevioribus, convexioribus, supra tantum levissime striatis, in striis tantum indistincte punctulatis, interstitiis et in ♂♂ fortius microsculpturatis igiturque minus nitidis, stria secunda elytrorum plerumque puncto unico, rarius punctis duobus instructa, nec non segmento ultimo abdominis in ♂♂ semper bisetoso. (Puncto scutellari plerumque praesente). Long. 14.5—18 mm.

Loc. class. Insula Gaudos, IV.—V. 1934 Dr. Ot. Štěpánek et Dr. K. Táborský lgt. (50 ex.).

Typus et cotypi in Coll. Mus. Nat. Pragae conservantur.

6. **Tapinopterus Štěpáneki leukaorensis** m. nov.

A forma typica statura robustiori, minus angusta, capite latiore cum oculis magis prominulis, temporibus magis convexis, sulcis frontalibus fortius impressis, pronoto multo latiore, postice ante angulos posticos fortius atque longius sinuato, angulis posticis fortius prominulis, elytris latioribus, lateribus magis rotundatis, in striis minus distincte punctulatis, stria secunda punctis duabus irregulariter impressis praedita, coloreque nigrobrunneo differt. Long. 15 mm.

Habitat: Creta, montes Leuka Ori V. 1938 Dr. Štěpánek et Dr. K. Táborský lgt. Typus ♀ in Coll. Mus. Nat. Pragae conservatur.

7. **Tapinopterus thessalicus oetensis** m. nov.

Rassa robusta. Long. 19.5—20.5 mm. Forma pronoti inter *thessalicus thessalicus* Rtt. et *thessalicus aetolicus* Ggb. ponendus. Differt a primo statura robustiore maioreque, pronoto lateribus angustius marginato, angulis anticis magis acutis sed parum prominulis, elytris longioribus, antennis pedibusque longioribus, articulo primo tarsorum posticorum extus distincte sulcato (in *Tap. thessalicus thessalicus* Rtt. haud vel tantum indistincte sulcato), meso-, metasterno segmentisque primis abdominis multo fortius punctatis lamellaque penis multo latiore, apice subrotundatim truncata. A *Tap. thessalico aetolico* Ggb., cui simillimus (cum speciminibus e montibus Veluchi comparatus) statura maiore, angulis anticis et posticis pronoti minus prominulis, elytris minus deplanatis, fortius striatis, in striis indistincte punctulatis, meso-, metasterno et segmentis primis abdominis fortius punctatis lamellaque apicali penis latiori, distinctus. A *Tap. thessalico pelionensi* Breit., descriptione sensu, iam statura maiore (long. in *pelionensi* Breit., tantum 14—16 mm), pronoto alius formato etc. bene distinctus.

Habitat: Mons Oeta ad Hypati. Itinere nostro entomologico V. 1936 in silva cca. 1200—1400 m specimina pauca sub lapidibus et sub vegetabilis detritis invenimus.

Typus et cotypi in Coll. Mus. Nat. Pragae conservantur.

Observ. In montibus Peristeri ad Jannina altera rassa huius speciei geographicae *Tap. thessalicus peristericus* Apf. habitat, quaem rassam in loc. class. itinere nostro VI. 1938 saepius sub lapidibus ad niveos legimus, etiamque in montibus Zygos ad Malakasion in silva fagi nonnulla specimina huius rassae invenimus quae omnia statura paulo latiori elytrisque lateribus fortius rotundatis ab illis e montibus Peristeri differunt et formam transgredientem ad rassam *aetolicus* Ggb. efficiunt.

Novissime dom. J. Müller in Bol. Soc. ent. ital. 67, 1935 p. 153 *Tap. thessalicus tomoricensis* e montibus Tomorica in Albania centrali descripsit.

Adhunc numerandae sunt igitur 6 rassae huius speciei geographicae. Ob etiam *Tap. zezae* Cziki. (= *protensus* Schaum. nom. praeocc.) ad hanc speciem geographicam pertinet, pro incerto existimo, nam specimina *Tap. zezae* Cziki. e Parnasso sat manifeste ab omnibus rassis speciei geographicae *thessalicus* Rttr. discrepant et nondum ullam formam transgredientem vidi.